

_Lettera_N_2089

Al papa Pio IX

Beatissime Pater,

Romae, anter. 26 februarii 1875

Joannes Bosco Sacerdos ad sanctitatis Tuae pedes provolutus humillime pro salesiana Congregatione exponit:

Die 3 aprilis elapsi anni 1874 haec pia societas a Clementia Tua absolutam et specificam Constitutionum approbationem consecuta est, variisque inde privilegiis donata. Post tale ac tantum beneficium licet hujus Congregationis Socii toti in eo essent ut per regularem observantiam optatum animarum profectum referrent, plures tamen ac frequentes difficultates exortae sunt in sacro ministerio exercendo, atque in domibus, Collegiis, et Ecclesiis administrandis. Etenim in nostris regionibus quum omnes Ecclesiasticae Congregationes praeter propter iisdem privilegiis fruuntur, saepe de nobis dictitatur, an eadem privilegia, quibus aliae Congregationes gaudent, fuerint etiam nobis concessa. Qua de re haud facile responsum dari potest.

Hujus generis difficultates jam occurrerunt Redemptoristis, quibus, licet ex Rescripto Benedicti XIV, Clementis XII, Clementis XIV plures concessionem directe factae fuerint, nihilominus eliminari non potuerunt, nisi per Pii VI Rescriptum, quo Redemptoristis privilegia Passionistarum per communicationem concessit sub die 20 octobris 1781.

Fere eadem obstacula habuerunt Oblati Beatae Mariae Virginis, quae omnia Leo XII sustulit quum viam cognitam iisdem signans per communicationem privilegia et gratias spirituales Redemptoristarum concesserit.

Nunc vero quum nostra humilis Societas sive quoad Constitutiones et finem, sive quoad messem in Evangelico agro colendam praeaudatis Congregationibus assimilari possit, eadem etiam privilegia suppliciter postulantur. Hujusmodi supplicationis addi etiam possunt nonnullae rationes particulares quas adnotare juvat:

1° Natura Congregationis, quae cum sit temporalibus subsidiis omnino destituta, specialibus privilegiorum auxiliis indiget ut inter tot temporum tempestates se constituere seque sustinere valeat.

2° Multitudo Sociorum, Alumnorum, Collegiorum, Hospitiorum, quorum rectores per viam pariformem atque locorum Ordinariis cognitam incedentes, in novis casibus et in gravioribus dubiis ad Sanctam Sedem illis sit recurrendum.

3° Missiones in dissitis orbis terrae partibus jam susceptae, variaeque domus de quibus aperiendis illic agitur, perdifficilem reddent frequentem recursum ad Romanum Pontificem ut opportunas facultates consequantur.

4° Specialia locorum et temporum adjuncta, quae prudenter consulere videntur multa facere sed non patefacere.

Hisce breviter adnotatis, Salesiani omnes ad Pedes Tuos provoluti, Beatissime Pater, supplices postulamus ut nostrae Congregationi per Communicationem concedas privilegia, facultates, gratias spirituales, quibus generatim aliae Congregationes, et nominatim Congregatio SS. Redemptoris fruuntur, hoc est: "Perinde ac si specialiter et expresse, ac pariformiter et aequè principaliter Salesianae congregationi concessa fuissent tamquam de verbo ad verbum expressa et inserta fuissent et specialem mentionem requirerent".

Per hujusmodi communicationem, Beatissime Pater, Salesiana Societas tutam et cognitam viam habet quam sequatur; facillime Ordinariis locorum innotescant privilegia quibus fruatur praecipue in Missionibus suscipiendis, et domibus in exteris regionibus adaperiendis.

Dum uno ore haec postulamus toto corde preces ad Deum fundimus ut Tu, Beatissime Pater, ea dumtaxat concedas, quae ad utilitatem nostram, lucrumque animarum melius in Domino judicaveris.

Joannes Bosco Sacerdos